

extra Ecclesiam Cathedr. ad benedictionem solemnem Episcopi. n. 1646 die 3. Aug. 1652.

Neque Dignitates neque Canonicos tam paratos quam non paratos debere genuflectere in benedictione ab ipso Episcopo (Matulens.) fieri solita in solemnioribus post Missae Sacrificium aut Vesperas, quamvis praedictus Episcopus praetenderit per Caerem. ecclesiasticum excludi ab ipsa genuflectione solas Dignitates et Canonicos sacris vestibus indutos. n. 2452 die 15. Sept. 1668.

Dignitates et Canonici caput tantum inclinant, quando Episcopus benedictionem in missis pontif. impartitur, immo etiam Dignitates et Canonici, s. vestibus celebrandi causa induti Episcopo celebranti assistentes. n. 3551 ad 8 et 9 die 13. Mart. 1700.

Dignitates et Canonici stent et caput tantum inclinant in benedictionibus, quae fiunt ab Episcopo in choro cum sola cappa existente. n. 3551 ad 7 die 13. Mart. 1700.

*Ad dubium:* Quum Rmus. Episcopus pontificaliter celebrat, tenentur omnes Canonici huic assistentes, et alii Canonici sive parati, sive non, genuflectere, quum solemnem dat benedictionem in fine Missae et Vesperarum? S. eadem C... respondendum censuit: „Negative.“

Atque ita rescripsit. n. 5221 ad 7 die 21. Julii 1855.

f) Genuflectio Canon. Collegiatae.

Priorem et Canonicos Collegiatae de Pilar teneri genuflectere ad benedictiones solemnes Archiepiscopi tam in missa quam in Vesperis. n. 732 die 27. Mart. 1628.

Canonicos Collegiatae Fundanae assistentes Episcopo celebranti, tempore Benedictionis Episcopi in throno sedentis transeuntes debere se tantum

profunde inclinare. n. 2694 ad 8 die 16. Junii 1674.

*Ad dubium* Canonicorum Collegiat. Liburni: an in sol. benedictione Archiepiscopi Canonici tam s. vestibus induti quam degentes in stallis teneantur genuflectere? S. C. resp.: *Tenantur genufl.* n. 3026 ad 11 die 24. Julii 1683.

Vd. *Canonici Colleg.* (Genuflectio).

g) Genufl. Cleri inferioris.

Ad Benedictionem Episcopi solemniter celebrantis praeter Canonicos Cathedr. reliquos omnes teneri genuflectere. n. 887 ad 2 die 7. Dec. 1630.

Praeter Dignitates et Canonicos omnes genuflectunt in benedictionibus, quae fiunt ab Episcopo in choro cum sola cappa existente. n. 3551 ad 7 die 13. Mart. 1700.

Vd. *Genuflectio* (Coram Episcopo.)

h) Genufl. Laicorum.

Ad solemnem benedictionem Episcopi Magistratum genuflectere debere. n. 1312 die 23. Mart. 1641; n. 2637 ad 6 die 17. Junii 1673; n. 4305 ad 3 die (21. Julii) 12. Sept. 1761.

Gubernatorem et Magistratum in solemni Episcopi benedictione omnino genuflectere debere. n. 1733 die 19. Sept. 1654.

Ad benedictionem solemnem Episcopi omnes teneri genuflectere praeter Dignitates et Canonicos Cathedralis, ideoque Magistratum debere genuflectere. n. 2777 die 21. Mart. 1676; n. 2780 die 30. Maji 1676; n. 2789 ad 1 die 13. Junii 1676.

Magistratum Faventinum teneri genuflectere ad quascunque benedictiones Cardinalis Episcopi tum inter, tum post quaecunque solemnia elargiri solitas; idque locum habere in quibuscunque benedictionibus inter vel post Vesperarum missarumque solemnia, eodem Episcopo apud sedem pontificalem ve

apud altare, tum cappa pontificali tum s. vestibus induto, eorundem divinarum Officiorum solemnia peragente; ac pariter ab initio ad finem missae privatae eodem Episcopo quocunque loco et tempore celebrante vel iis assistente. n. 2796 die 13. Junii 1676; n. 2817 ad 1 die 13. Febr. 1677.

Magistratus Fulginaten. post absolutam miss. pontif. non discedat sed expectet benedictionem Episcopi. n. 3336 ad 1 die 7. Aug. 1694.

i) Non omitteretur propter impertiend. Bened. Papalem.

Vd. *Benedictio Papalis* (Forma etc.)

k) Privata in Process. Corp. Christi.

Episcopum in Processione Corporis Christi a *privata* populi benedictione cessare debere. n. 1862 die 26. Jan. 1658.

l) Quando et quoties?

*Ad dubium:* an data benedictione sol. ab Episcopo post concionem habitam intra missarum solemnia, possit dari alia benedictio sol. in fine ejusdem missae? S. C. resp.: Nedom posse sed omnino debere etiam secundo benedicere. n. 2805 ad 5 die 14. Nov. 1676.

Episcopus tantum in sede assistens Missae sol. Populo benedicit et Indulgentias publicare facit. n. 5004 ad 2, 6 die 7. Dec. 1844.

Vd. *Benedictio* (Forma etc.)

m) Cum Reliquia.

Vd. *Benedictio cum Reliquia.*

*Ad dubium:* 1. an possit Episcopus benedictionem sol. populo impertire cum reliquia Ligni ss. Crucis, retenta mitra?

2. an saltem cum Pileolo?

3. an possit retinere mitram vel Pileolum benedicens populo cum aliqua insigni reliquia alicujus Sancti?

S. C. resp. ad 1.: Benedictionem

capite detecto impertiendam esse in casu;

ad 2.: Negative;

ad 3.: provisum in praecedentibus. n. 4815 ad VII. 1—3 die 22. Sept. 1837.

n) Cum SSmo.

*Ad dubium:* 1. Utrum Episcopus in impertienda populo benedictione cum SSmo. Eucharistiae Sacramento decantare possit V: *Sit nomen Domini benedictum?*

2. Utrum praxis in praecedenti Dubio enunciata retineri possit saltem ex eo, quia Episcopus mox defunctus a viginti et ultra Annis in elargienda Eucharistica Benedictione Versum ipsum decantare consuevit?

3. Utrum liceat Episcopo dare bened. cum SSmo. absque velo humer. ejus loco assumptis chirotecis; et an chirothecas retinere possit, si ad velum humerale teneatur?

S. eadem C... „Negative in omnibus“ respondendum censuit. n. 5211 ad 2 3 4 die 21. Julii 1855.

o) Finito Sermone.

Benedictio finito Sermone non est danda ab Episcopo, quando in fine (missae) impertienda est populo Benedictio Papalis. n. 4669 ad 14 die 12. Nov. 1831.

p) Extra suum Territorium.

Episcopus Vigevanens. ut *Visitator Hospitalis S. Matthaei*, non sub jurisdictione Ordinarii Papiens. sed immediate sub Sede apost. existentis, non potest dare benedictionem in via, cum ejus auctoritas et delegatio sit restricta in Hospitale tantum. n. 2495 ad 1 die 5. Oct. 1669.

27) Fontis.

a) Aspersio aquae bened.

Vd. *Aspersio aquae bened. in dom.* (Officiat. decr. n. 5228).

## b) Assistentia.

Vd. *Sabbat. s.* (assistentia).

## c) Celebrans.

Vd. *Bened. font.* (temp. decr. n. 4252); *Sabbatum s.* (Celebr.).

Benedictionem fontis spectare ad Praepositum Collegiatae, quatenus celebret, sin minus, ad Celebrantem. n. 2204 die 17. Mart. 1663.

*Ad dubium*: an in Sabb. s. Benedictio fontis facienda sit per Sacerdotem celebrantem juxta rubricam, an existente eodem ad altare, per juniorem Canonicum, cum ad hunc spectet exercitium Curae animarum Civitatis? S. C. resp.: *Facienda est per Celebrantem.* n. 2502 ad 5 die 31. Maji 1670.

Benedictionem fontis et celebrationem missae in Sabb. s. esse divisibiles et posse ab uno fieri benedictionem fontis et ab alio missam cantari. n. 386 die 14. Junii 1608.

Absente Archiepiscopo benedictionem fontis fieri debere per Celebrantem. n. 687 ad 3 die 12. Junii 1627.

Benedictionem fontis spectare ad Celebrantem, praesentibus tamen hebdomadariis. n. 2096 die 12. Martii 1661.

*Ad dubium*: an bened. fontis baptism. sit de juribus mere paroch.? S. R. C. resp.: Negative, sed fieri debere a parochis. 10. Dec. 1703.

Benedictio fontis baptism. fieri debet a Parocho. n. 3670 ad 6. die 12. Jan. 1704.

Benedictionem Fontis in Sabb. s. et in Vigilia Pentecost. peragendam esse per celebrantem (missam). n. 4838 ad 1 die 1. Sept. 1838.

## SYRACUSAN.

Etsi cautum fuerit pluries a S. R. C., ut in Colleg. Ecclesiis sollemnis Benedictio fontis perficiatur a Canonico Hebdomadario, idque servetur in Col-

legiata SSmae. Annuntiationis loci vulgo *Comiso* intra fines Dioec. Syracus., in qua Parochus alterius Matricis Eccl. curam animarum exercet, quin in s. functionibus locum ullum ex inita conventionione oblineat; attamen S. R. C. quum iterum requisita fuerit de ulteriori in re declaratione, ut futuris quibusve temporibus ordo et uniformitas habeatur, ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinariis Comitibus, juxta alias decreta rescripsit: „Fontis benedictionem statis diebus in Collegiata spectare ad Hebdomadarium.“

Atque ita omnino servandum in Collegiata Oppidi *Comiso* mandavit. n. 5021 die 14. Junii 1845.

## b) Cereus paschalis.

Vd. *Cereus paschalis.*

## e) Diaconus.

Diaconus, sacris vestibus indutus in pergendo ad fontem benedicendum a sinistris Celebrantis incedere debet. n. 2082 ad 5 die 20. Nov. 1660.

Idem respondit S. C. n. 2083 ad 5 die 18. Dec. 1660.

Vd. *Benedictio ignis.* (Officiator; decr. n. 4672.)

## f) Dies.

*Num possit haec Benedictio fieri etiam extra Sabb. Paschalis et Pentec.? Vd. Bened. fontis* (Oleum, decr. n. 4820 ad 3 nota).

*Curnam fit in Sabb. Paschae et Pentec.? Vd. Ibidem.*

## g) Jus.

Vd. *Sabb. s.* (Bened. fontis.)

Benedictionem fontis fieri posse in Sabbato s. in omnibus Ecclesiis habentibus fontem baptismalem *fixum*. n. 1037 die 1. Mart. 1636.

## h) Ministri.

Qui facultatem obtinent fontem benedicendi, quatuor saltem Clericos in

ministerio habebunt. n. 4232 ad 2 die 12. Apr. 1755.

Vd. *Sabbat. s.* (Assistentia.)

## i) Oleum.

Vd. *Extrema Unctio* (olei mixtio); *Oleum s.* (infusio in font. baptis.) *Baptismus* (oleum vetus).

Benedictio aquae in Sabb. s. non potest fieri sine infusione Olei s. in Ecclesiis non habentibus fontem baptismalem. n. 3433 ad 2 die 13. Julii 1697.

Parochi ex Matricis fonte aquam, cui s. olea jam fuerint commixta, suscipere debent, quam adhibeant in Baptismi collatione. Qui vero ante Fontis benedictionem olea s. recipere non poterunt, illa subinde privatim ac separatim in aquam mittere poterunt. n. 4251 ad 3 die 12. Apr. 1755.

*Ad dubium*: An talis benedictio (Fontis Baptismalis in Sabb. S.) fieri debeat cum Chrismate et Oleo praecedentis anni, an potius omittenda sit infusio Chrysmatis et Olei usque dum accipiantur recentia consecrata?

S. eadem C. . . rescripsit, nimirum: „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.“

Atque ita rescripsit. n. 4820 ad 1 die 23. Sept. 1837.

## NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Benedictio fontis baptismalis praecipuus est ex antiquioribus ritibus, quos ex veteri disciplina sumpsit et adhuc retinet Ecclesia, et haec Benedictio duobus praesertim anni temporibus peragebatur solemniter, nempe in Paschate et Pentecoste, quemadmodum duobus hisce temporibus solemniter Baptisma conferebatur. Insignis est hac in re Tertulliani locus lib. de Baptismo cap. 19., ubi haec leguntur: *Diem baptismi solemnioris Pascha praestat, cum et Passio Domini, in quo tingimur, adimpleta est, nec incongruen-*

*ter ad figuram interpretabitur, quod cum ultimum Pascha Dominus esset acturus, misit discipulos ad praeparandum: Invenietis hominem aquam bajulantem Paschae celebrandae locum de signo aquae ostendit: . . . Exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est, et gratia Spiritus S. dicata, ut spes adventus Domini subostensa, quod tunc in Coelos recuperato Eo, ad Apostolos dixerunt sic venturum quemadmodum et in Coelos ascendit utique in Pentecoste.* Asserit hic primum Tertullianus, Christum Pascha baptismi consecrasset, docet secundo, decens esse, ut expletis per quadragesimale tempus Dominicae Passionis mysteriis celebretur baptismus, qui suam ab illa recepit virtutem, insuper, inquit, diem Pentecostes etiam baptismi Sacramento sapienter destinatum esse, quod Resurrectione Domini Spiritus S. delapsu et alterius Christi adventus spe commendetur. Et S. Leo veterem Ecclesiae praxim praescribens epistola ad Episcopos Siciliae asserit, Sacerdotes, qui die Epiphaniae catechumenos baptismate solemniter consecrant: *Ab Apostolicae Sedis consuetudine discrepare, solosque Paschatis et Pentecostes dies baptismi in Ecclesia electis secundum apostolicam regulam esse praescriptos.* His similia scripsit Siricius, eadem Gelasius. Id constanter asserunt Rerum Liturg. Scriptores probantque auctoritate SS. Patrum. Ex libris, quibus Dionysio Areopagitae Pauli Ap. Discipulo tribuuntur, eruitur, Fontis baptismalis benedictionem ab illis usque temporibus extitisse. Describens ille s. caeremonias, quibus Baptisma in publico Fidelium conventu conferebatur, haec habet: *Ipse autem (nempe Baptizandus) ad adoptionis matrem (nempe fontem) vadat, cujus aqua, posteaquam s. invocationibus sanctificavit Pontifex, necnon tribus ungenti-*

sacratissimi, crucis forma, effusionibus, totidem s. unguenti appositionibus, sacrosanctum Deo afflatorum Prophetarum, divinae aspirationis hymnum concinendo consecravit... adduci virum jubet... ter eum immergit, sub trina immersione, atque emersione has divinas beatitudines ac personas invocando. Quem ritum non recentibus saeculis, non Dionysii aetate, sed jam antea in Ecclesia fontem ad baptisma conferendum olei infusione, Crucis significationibus, orationibus, SSmae. Trinitatis invocatione benedici consuevisse, ex ejus loquendi modo facile agnoscitur. Ex qua Olei et Chrismatis commixtione indicatur conjunctio Christi per baptismum cum populis Ecclesiae: aquae multae, populi multi et Christi nomen, id est uncti ab Oleo et Chrismate deducitur.

Et quamquam olim multis sacrisque ritibus nulla certa dies praefixa fuerit, immo tribus Ecclesiae saeculis, persecutorum metu clam, et quibus poterant diebus celebrarentur, data tamen Ecclesiae pace, sua sunt tempora assignata, praesertim ubi aliqua mystica ratio postulabat. Et de confectione Chrismatis praefixa Fer. V. in Coena Domini sic scribit S. Isidorus Ep. Hispalensis l. 1. de Officiis Ecclesiasticis cap. 28., quod de Coena Domini inscribitur: *Qua die etiam* (Fer. V. in Coena Domini) *S. Chrisma conficitur, quia ante biduum Paschae Maria caput et pedes Domini unguento perfudisse perhibetur.* Neque enim Episcopo fas est alia die Chrismatis ac Oleorum benedictionem peragere, neque Parochis fas est alio uti Chrismate aut Oleo Catechumenorum, quam illis, quae eodem anno sint ab Episcopo de more benedicta Fer. V. in Coena Domini. Quod palam eruitur ex Rituali Rom. cap. de S. Oleis et aliis requisitis, ubi edicitur: *Curet Parochus, ut ea suo tempore quam-*

*primum habeat et tunc vetera in Ecclesia comburat:* quae combustio post novam Oleorum benedictionem ab Episcopo peractam Fer. V. in Coena Domini nititur Canon: *Litteris de Consecratione, Distinctione III.* desumpto ex Epistola II. Fabiani Papae ad Orientales Episcopos data, quae licet supposititia sit, sicut et aliae ejusdem Pontificis Epistolae, antiquus est nihilominus ritus in citata Epistola praescriptus, ut scilicet *Chrisma per singulos annos jam dicta die sit innovandum et velus in sanctis Ecclesiae cremandum.*

Quum itaque Oleorum benedictio quotannis facienda ex antiquissima proveniat traditione, quumque ea Olea quotannis Parochus renovare teneatur, veteribus in Ecclesia combustis, patet benedictionem Fontis Baptismalis duobus Sabb. Paschae et Pentecosten peragenda esse infusione Oleorum eo anno benedictorum, neque ignoratur graviter Sacerdotem peccare, graviterque puniendum, qui veteri Oleo benedicto, recentiori posthabito, uteretur. Sed tamen intelligendum est, ubi necessitas non cogeret ad id faciendum. Urgente quippe necessitate novoque Oleo benedicto deficiente recte adhiberi posse vetus Oleum benedictum, respondit S. C. Ep. et Reg. die 20. Maji 1590 apud Gavantum in Manuali Episcoporum verbo: *Extrema Unctio*, et S. Carolus in Institutionibus de Baptismi administratione pag. 502 sic ait: *Veteri autem vel Oleo S., vel Chrismate non utetur Parochus, scilicet nisi, antequam novum habeatur, necessitas illius utendi inciderit.* Et re quidem vera Rituale Romanum cap. de Sacramento Baptismi rite administrando et Titulo citato de S. Oleis requisitis ait: *Veteribus Oleis, nisi necessitas cogat, ultra annum non utatur;* qua urgente necessitate, non modo indulget, ut Parochus utatur

Oleis benedictis Anno praecedenti, sed etiam, si haec vetera Olea pauca sint quantitate, et deficere videantur, et Chrisma aut Oleum benedictum haberi non possit, aliud Oleum de Olivis adjiciatur non benedictum, sed in minori quantitate. Ergo a fortiori, si cogat necessitas, uti poterit Parochus veteribus Oleis, quibus necesse non est, ut Oleum non benedictum infundatur. Necessitatem autem urgere in proposito casu Oriolen. patebat, quia nova Olea neque benedicta erant ab Episcopo, qui a Sede sua divulgus fuerat, neque ob belli civilis pericula alio sumi poterant.

Aliunde autem baptismalis Fontis benedictio, quae ab ipso Ecclesiae initio est repetenda, omitti nequaquam debebat. His innixa auctoritatibus, inherendo Resolutioni C. Episcoporum et Reg., Instructioni S. Caroli, nec non ipsi dispositioni Ritualis, S. C. rite primae dubii parti affirmative responsione occurrendum esse censuit.

Quoad alteram vero partem, licet Olei S. et Chrismatis Infusio non sit absolute necessaria pro collatione Baptismi, ut materia, forma, Minister et quamvis Aqua naturalis sive ea maris sit, sive fluminis, sive fontis apta sit Baptismo; tamen quoniam hujusmodi institutio ex Apostolica et antiquissima Traditione accepta et approbata est, et quoniam ex antiquis temporibus observatum est ab Ecclesia, ut aqua pro conferendo Baptismo solemniter benedicatur et consecretur, ut supra indicatum est, eam omittere non licet, nisi in casu necessitatis; quae necessitas in proposito casu non existeret, quum haberi possent Olea praecedentis anni: hinc negative responsum est, eo vel magis, quod infusio Chrismatis et Olei in Fonte Baptismali ita conjuncta videtur cum ipsius fontis benedictione, ut ab ea separari minime queat.

*Ad dubium:* An in Baptismo solemni infantium utendum sit hujusmodi Aqua benedicta quidem cum reliquis Caeremoniis Missalis, sed absque consecratione seu mixtione Sacrorum Chrismatis et Olei: an vero Aqua consecrata praecedenti anno, quae ad hunc finem conservetur?

S. eadem C... rescripsit, nimirum: „Negative ad utrumque, sed fieri debet nova Fontis benedictio cum Oleis anni praecedentis seu provisum in prima parte superioris Dubii.“

Atque ita rescripsit. n. 4820 ad 2 die 23. Sept. 1837.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Hujus dubii responsio et haec quidem negativa ad utrumque pendebat ex hactenus dictis in adnotationibus. Quum enim consecratio seu mixtio Sacrorum Chrismatis et Olei in Aqua, quae Baptismo deservire debet, utpote antiquissimae traditionis omitti non debeat praeter absolutam eorum deficientiam; haec autem deficientia absoluta non aderat, quia, juxta ipsum Rituale Rom., in aliquo casu, cujusmodi certe est ille propositus, admittit, posse Parochum uti Oleis anni praecedentis, jam omitti non debebat consecratio seu mixtio Oleorum, neque adhibenda erat Aqua, quae consecrata fuerat praecedenti anno, et quae ad hunc finem conservatur, quod patet etiam fieri debuisse novam fontis benedictionem cum Oleis anni praecedentis.

*Ad dubium:* An supposito, quod Aqua baptismalis benedicta sit cum veteribus Oleis, eo quod recenter consecrata non habeantur, infundi debeat in Piscinam, simul ac nova recipiantur Olea, et iterum cum his alia benedicenda sit Aqua juxta Caeremonias Ritualis romani: an vero illa conservari et uti debeat usque ad benedictionem in Vigilia Pentecostes, prout in Missali?

S. eadem C... rescripsit, nimirum:

„Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.“

Atque ita rescripsit. n. 4820 ad 3 die 23. Sept. 1837.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

In hoc dubio quaeritur: an postquam Fontis baptismalis benedictio cum Oleis anni praecedentis peracta est, eo quod nova suo tempore haberi a Parocho nequiverint, si eveniet, quod inter Sabb. Paschatis ac Sabb. Pentecostes habeantur nova Olea rite eo anno benedicta, cum his Fontis baptismalis benedictio sit iterum perficienda, projecta in piscinam aqua, quae cum veteribus Oleis benedicta fuit?

In solutione hujus dubii advertendum erat, nova Olea benedicta vel a proprio Episcopo esse recipienda, vel ab Episcopo alieno, sed cum Ordinarii licentia, uti expresse sub gravissimis poenis jubent passim Sacrae Synodi, inter quas Carthaginensis IV. anni 398 can. 36 ita mandat: *Presbyteri, qui per Dioeceses Ecclesias regunt, non a quibuslibet Episcopis, sed a suis, neque per juniorem Clericum sed aut per se ipsos, aut per illum, qui Sacrarium tenet, ante Paschae solemnitate Chryisma petant.* Synodus Vasensis anno 442 can. 3. et aliis omissis, Conc. Prov. Beneventanum V. anno 1331 cap. 49. His adnotatis, ad dubium, quod spectat, adest quidem in Rituali Rom. Ritus, quo fit benedictio Fontis baptismalis extra Sabb. Paschae et Pentecostes, at in eo tantum casu, quum aqua consecrata non habeatur, quia evenire potest, ut aqua ipsa consecrata usui amplius esse non possit. Non enim benedictio aquae baptismalis ita est alligata Sabbathis Paschae et Pentecostes, ut extra haec tempora fieri minime valeat, sed Rituale Rom. titulo de *Materia Baptismi* tres casus enumerat, in quibus haec benedictio extra praedicta Sab-

batha fieri possit; ait enim: *Si vero corrupta (aqua) fuerit, aut effluerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in fontem bene mundatum ac nitidum, recentem aquam infundat, eamque benedicat ex formula, quae infra praescribitur.* Quorum casuum quum nullus in proposito Dubio verificetur, sed e contra aqua consecrata habeatur, et quum immo praescribat eodem loco Rituale Rom., ut *si Aqua benedicta tam imminuta sit, ut minime sufficere videatur* (ne verbo quidem facto novae benedictionis) alia non benedicta admisceri possit, in minori tamen quantitate non videtur, quid causa sit, ut repetatur benedictio extra duo dicta Sabbathata, ex eo tantum quod facta fuerit cum veteribus Oleis. Neque inconsulto, sed prudenti sane consilio Ecclesia retinet usum benedictionis solemnis baptismalis duobus Sabb. Paschae et Pentecostes; nam olim duo in toto integro anno ad recipiendum baptismata erant tempora designata, nisi aliqua administrandi extra haec tempora istiusmodi Sacramentum necessitas occurreret (quia in eo casu quacumque die et hora conferri poterat baptismata), vigilia nempe Paschatis et Pentecostes, et quoniam solemnis haec fontis benedictio non peragebatur, nisi simul et baptismata solemniter conferretur, tunc factum est, ut sicut in duobus Paschatis et Pentecostes solemnitatibus Baptisma solemniter conferebatur, ita haec festivitates solemni fontis baptismi benedictioni fuerint assignatae et nostra etiam aetate retineantur. Ecclesia enim quamvis plurima de veteri disciplina remiserit, nonnulla tamen ejusdem disciplinae vestigia conservavit, ne omnia penitus reliquisset videretur.

Quarum duarum Vigiliarum quum pro conferendo baptismato meminit Tertullianus cap. 16. de Baptismo, et S. Syricius in Epistola ad Hymerium prohibet, ne in aliis diebus, quam

Sabbatho S. et Pentecoste conferatur Baptisma, *quam regulam omnes teneant Sacerdotes, qui nolunt ex Apostolica Petra, supra quam Christus universalem construxit Ecclesiam, divelli.*

Neque *Mysterio aliquo vacat solemnis benedictio Fontis et collatio Baptismi duobus Sabbathis Paschae et Pentecostes*; id enim fit *dicta Nona*, quia in eadem hora Cornelius a S. Petro baptizatus fuit *Raban. lib. 4. cap. 28.*, et quia eadem hora Christus expiravit; baptismus enim significat mortem Christi et Sepulturam ejusdem *ib. cap. 6.*, unde fit, ut in Sabbatho S. et in Sabbatho Pentecostes baptismus solemniter cum Aqua solemniter benedicta conferatur. Postremo duo Sabbathata tantum Paschatis et Pentecostes Baptismate coluntur solemni ex Leonis *ep. 4. cap. 5.*, et habetur *distinct. 4. de consecratione Duo tempora.* Imo ex Syricio *eadem distinct. Non ratione*, nimirum, ut primum sit Filii, alterum Spiritus S., ne videatur differentia inter Filium et Spiritum S., quorum est aequae mundare animas a peccato, ait *Raban. lib. 2. cap. 42.*

Quum itaque in proposito Dubio nulla ex causis concurrat, ob quas Rituale Rom. benedictionem Aquae baptismalis permittit extra Sabbathata Paschae et Pentecostes, quumque non vacet mysterio, quod ea benedictio fiat dictis duobus Sabb., ea sententia amplectenda est, ut firma remanente benedictione jam facta cum Oleis anni praecedentis, pro nova benedictione cum novis benedictis Oleis expectetur Vigilia Pentecostes, ac proinde *negative ad primam partem*, responsum consulto a S. C. fuit, ad *secundam vero affirmative.*

MASSAE ET POPULONIAE.

*Ad dubium:* An standum sit Missali in Benedictione Fontis peragenda in Sabbatho Sancto seu potius consue-

tudini, nimirum prius Aquam in aliquo vase separato benedicere, et antequam infundatur Chryisma ex illo Aquam ipsam extrahere et mittere in Fontem?

S. C. resp.: Ex speciali gratia servari posse consuetudinem. n. 4685 ad 1 die 7. Apr. 1832.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Ex rescripto ipso Sacrae Congregationis erui facile potest stricte servandam fuisse Missalis et Ritualis Romani dispositionem in eo, quod in dubiis proponitur: ex speciali enim gratia, ut dicitur, servari potest consuetudo: est itaque permissiva responsio, quae regulam universalem et praescriptionem non destruit aut infirmat. Ideo autem data est haec responsio, quia unum idemque esse Sacra Congregatio putavit prius aquam in Fontis benedictione, quae Sabbatho Sancto peragitur, in aliquo vase separato benedici eamque postea ex hoc extractam in fontem mitti, et eam in Fonte ipso jam paratam benedici: benedictio enim non a loco, sed a precibus pendet. Mittitur in Fontem, ut in dubio, postquam omnes preces pro benedictione perficienda assignatae prolatae sunt et antequam Oleum Chryisma infundatur: salva itaque est Rubrica, nec ulla in hoc substantialis mutatio dignoscitur, quae ritum pro fontis benedictione praescriptum immutet. Sicuti enim in Rubrica Missalis legitur de hac aquae benedictione, *prius quam Sacra Olea in eam infundantur per Sacerdotes assistentes spargitur super Populum, et interim unus ex Ministris Ecclesiae accipit in vase aliquo de eadem aqua ad aspergendum in domibus et in aliis locis*, ita non officit praescripti ritus substantiae, quod, quae remanet Aqua in vase, recitatis jam pro partiali benedictione precibus assignatis, antequam Sacra Olea infundantur et tota Fontis benedictio

peragenda perficiatur, in Fontem sive in Fontis baptismalis choncham mittatur. Responsio itaque permissiva de servanda hac consuetudine ideo data fuit, quia hoc etiam modo Rubrica servatur. Unum tamen adnotabo, quod quidem attentionem aliquam exposcit quodque in responsione Sacra Congregatio negligendum putavit pro certo habens materialem quemdam errorem in dubio proponendo irrepsisse, quod ex dubii ipsius non satis accurata enunciatione deducitur. Siquidem quaeritur in secunda dubii parte . . . *an potius standum sit consuetudini, nimirum prius Aquam in aliquo vase separato benedicere et antequam infundatur Chrisma ex illo Aquam ipsam extrahere et mittere in Fontem?* Collata responsione cum dubii verbis ita forte accipi posset, ut Sacra Congregatio permiserit extrahi posse Aquam post infusionem Olei Catechumenorum, dubium enim silet de hujus Olei infusione, et Chrisma solum nominat. At hoc neque esse potuit, neque intellexit concedere Sacra Congregatio, quae ne suspicari quidem poterat hanc revera fuisse consuetudinem, quae servanda in precibus postulatur eoque minus pro ea servanda etiam ex speciali gratia. Eam rescripsisse putandum est, sed uti revera est, sensit errorem in enuntiatione irrepsisse, et Sacrum Chrisma nominatum fuisse pro *Sacris Oleis in genere*, quae infundi debent, et ideo in responsione haud adnotandum censuit. Quapropter stando Rubricae dispositioni et minus accurata enuntiatione sublata, quemadmodum Aqua pro adstante populo aspergendo extrahenda est ante Olei Catechumenorum infusionem, ita antequam hoc ipsum Oleum in aqua infundatur, eadem aqua, quae est benedicta in vase separato, de quo est sermo in dubio, mitti debet in Fontem. Haec adnotata sunt ad omnem,

si quae oriri posset, aequivocationem et ambiguitatem vitandam et Sacrae Congregationis mentem explicandam, quae certe nunquam fuit, ut permitteret post Olei Catechumenorum infusionem et ante infusionem Sacri Chrismati tantum, Aquam, quae Sabbato Sancto in Fontis baptismalis solemnibus benedictione in separato vase benedicitur, in Fontem mitti.

## k) Orationes.

(Quo modo dicendae?)

*Ad dubium:* utrum in Sabbato s. ad bened. font. dicendae sint junctis manibus orationes et Praefatio? S. C. resp.: affirmative, nempe junctis manibus et apponantur proprio loco. n. 3754 ad 11 die 25. Sept. 1706.

## l) Praecedentia.

Praecedentiam deberi super omnes Dignitates et Cononicos illi, qui celebrat et facit benedictionem fontis cum s. habitu. n. 1005 die 16. Sept. 1634.

## m) Quoties facienda?

Urbevetanae Eccl. ut primum renuntiatus fuit Ep. R. P. D. Joseph Maria Archiep. Vespignani, Pastoralis sui muneris Partes suscipiens illud animadvertit conveniens minus, immo universali praxi et Rubricarum sanctioni contrarium, quod in Ecclesiis, ubi fons Baptismalis reperitur, ipsius Fontis benedictio semel tantum per Annum Sabbato nimirum ante Resurr. D. peragebatur, quin eadem benedictio iteretur Sabbato etiam ante Pent. Immemorabili huic in sua Dioecesi consuetudini quum suffragare compererit Synod. leges, quin pro suo arbitrio quidquam in re decerneret memoratus Praesul, S. R. C. humillimis datis precibus adivit, eique rem ipsam exponens enixe rogavit, ut declarare dignaretur, num immemorabili huic consuetudini

standum sit? Emi. vero ac Rmi. P. S. tuendis ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunati, audita relatione a subscripto Secretario facta, attentis Rubricarum sanctionibus ac aliis Decretis, praesertim in Lucana die 12. Apr. 1775, in quo dilucide edicitur, Parochos Fontem Baptistalem Sabbatis diebus Pasch. et Pent. benedicere debere, respondendum censuerunt: „Consuetudinem velut abusum et Rubricis contrariam esse eliminandam.“

Atque ita exequendum mandarunt. Die 17. Sept. 1844. n. 4993.

## n) Tempus.

*Ad dubium:* an ferenda sit immemor. consuetudo Parochorum benedicendi s. fontem de mane aut in Vesperis dierum festorum Pasch. et Pentecostes aliorumque festorum juxta rituale rom., ubi agit de bened. fontis bapt. extra Sabb. Pasch. et Pentec., cum aqua consecrata non habetur? S. C. resp.: Parochos habentes facultatem benedicendi fontem bapt. Sabb. diebus Pasch. aut Pent. dumtaxat et non aliis diebus illum de mane benedicere debere. Qui vero hanc facultatem non habent, ab ejus benedictione se abstinere tenentur. n. 4252 ad 1 die 12. Apr. 1755.

*Haec Benedictio fit dicta Nona;* vd. *Bened. fontis* (oleum, decret. n. 4820 ad 3 nota).

## 28) Formula.

Vd. *Libri ecclesiastici* (approb. decret. n. 4681, 4748).

## 29) Genus, Origo.

Vd. *Benedictio Sacerdotis extra missam* (nota).

## 30) Ignis.

## a) Obligatio.

Vd. *Prophetiae* (non omittendae; decret. n. 4583 nota); *Benedictio* (jus).

Congruit, ut missae in Sabb. s. celebrandae Ignis accerei benedictio praecedat; et Archiepiscopus parochos ad Ignis et Cerei benedictionem faciendam aliqua poena pecuniaria adigere poterit. n. 4252 ad 3 die 12. Apr. 1755.

## b) Officiator.

Ne contingat, Episcopum toties vestiri et spoliari vestibus, satius esset et convenientius prout etiam magis usitatum, si benedictionem ignis non per se, sed per aliquem Canonicum fieri praeventive mandaret, cum illa non sit tantae solemnitatis sicut reliquum Officium. n. 2946 ad 2 die 19. Apr. 1681.

Vd. *Diaconus* (cant. Exultet; decret. n. 4672).

## 31) Incensi.

## a) Coram expos. SS. Sacramento.

Vd. *Instructio Clem. §. XIX.* n. 11, 13, 20; §. XXIV. n. 17; §. XXX. n. 8. *Osculum cor. SSmo.*

## b) Crux efformanda.

Vd. *Incensum.*

*Ad dubium:* an in impositione thuris debeant proferri verba: *ab illo benedicaris etc.*, quando imponitur incensum in thuribulo vel dum efformatur signum crucis, ut exsequitur in rubrica particulari, in qua crucis effigies invenitur inserta in verbo *Bene + dicaris*, ubi etiam similiter fit in omnibus aliis benedictionibus, ubi Crux manu describitur illo in verbo, ubi crucis schema exstat depictum? S. C. resp.: Serventur rub. gen. Miss. rom. c. 4 de Introitu n. 4 et Caer. Ep. lib. I. c. 23 §. 1. et 2. n. 4395 ad 23 die 18. Dec. 1779.

## 32) Cum Indulg. plenar. pro moribundis. (Infantibus sine communione.)

Vd. *Benedictio apostol. pro Moribundis.*

*Ad dubium:* An Benedictio cum Indulg. plenaria juxta constitutionem